

monache di S. Mattia circa la revisione de' conti, da cui si pretendono esenti, come soggette al governo de' regolari, recedendo da quanto aveva sopra di ciò deciso dopo il giorno 10 Febbrajo, di decretare, che l'E. V. in vigore delle costituzioni Apostoliche, e in specie della bolla della S. M. di Gregorio XV e delle risoluzioni altre volte prese dalla medesima, e dalla sacra congregazione del Concilio, possa coartare le monache del mentovato, ed altri monasterj sottoposti ai regolari ad esibire i conti dell' amministrazione economica, e riconoscere; se i depositi delle doti seguano secondo gli ordini di questa sacra congregazione, conformandosi nel resto alla proibizione fatta alla badessa, e monache di non ammettere all' abito veruna zitella senza la precedente licenza. Glielo significo con baciarle riverentemente le SS. Mani.

(95. * In ingressu monialium in monasterium dotis solutio approbatur ea, quæ datur non ad ingressum in religionem, sed pro contractu, quem facit religio cum illa quæ ingreditur obligans sese ad ejus sustentationem. (96. Si vero monasterium per se sit dives, ut sufficere ex suis possit monialium sustentationi, tunc utique præstaret dotem imminuere, quin etiam penitus remittere, quamquam id agendum non est, nisi prius consulta S. congregatione Concil. *De synod. diac.*, lib. vii, c. 56, § 6; lib. xi, cap. 6, n. 6, nov. edit.

(97. Quoad prandia, cœnas et munera, quæ ab ingrediente moniales exigunt, perseverare censet Pontifex prohibitionem factam ab Urbano V, Extrav. 1, *De simon. inter comm. Ibid.*

(98. Modum tamen imponendum sumptibus apparatus et comessationum, ac pompæ, quæ fiunt in ingressu monialium censet Pontifex, usus opportune hac in re doctrina Navarri in *Tract. de reat. eccles. Ibid.*, § 7.

(99. Annuæ præstationes, quas consanguinei solvunt designatis monialibus, vitæ communi minime repugnant, sed requirunt, ut omnia manibus præpositæ consignentur, quæ prius consulere debet indigentis illius monialis in ejus gratiam collatæ sunt; et si quid reliquum, in ceterarum levamen erogetur. *De syn. diac.*, l. xiii, c. 12, § 19, nov. edit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(100. Plura hoc in articulo cumulat auctor de num. monialium, de dote et de livellis. Nos pauca addemus, vel confutando, vel declarando, vel supplendo ipsum auctorem.

Ad numerum monialium quod attinet, tenet auctor, n. 5, dispositionem cap. *Periculoso* §, *Sane*, De stat. regular., in 6, qua irrita declaratur professio monialis ultra numerum receptæ, contrario usu esse abrogatam. At hanc opinionem improbant Castropalaus, tract. 16, d. 1, q. 7, § 6, n. 5; Pellizzar., *De monial.*, cap. 2, sect. 1, n. 7, auctentes sibi constare nonnullis in locis ser-

vari, adeoque inspiciendam esse consuetudinem regionum, et secundum eam judicandum. (101. Quinimo meo iudicio, attendita hac diversitate, in locis, in quibus nec favorabilis, nec contraria obtinet consuetudo, standum est dispositioni dicti textus.

(102. Quoad vero dotem, verum regulariter est quod tradit auctor, n. 18, moniales velatas absque dote non esse admittendas, conversas vero posse sine dote aliquando admitti propter necessitatem. (103. Cæterum si contingat adolescentulam aliquam esse monasterio ad aliquem usum, puta ad pulsandum organum, necessariam, hanc etiam uti velatam admitti posse sine dote, quidquid contradicat Pellizzar., *De monial.*, c. 3, sect. 2, n. 46, non improbabilius alii tenent; idque quia eadem necessitatis ratio, quæ permittit admissionem conversæ sine dote, permittit et in hoc casu debet admissionem velatæ, pariter sine dote.

(104. Non solum dos monialium diminui nequit, absque licentia S. congregationis Episcoporum et Regularium negotiis præpositæ, ut notavit auctor, n. 32, sed nec a principio taxari amplius potest a superiore monasterio, sive is sit episcopus, sive prælatus regularis, sed debet ab ipsa S. congregatione taxari. Pellizzar., *De monialib.*, c. 3, sect. 2, n. 43.

(105. An possit monialis admitti cum dote majori, quam quæ taxata est, hac tamen lege, ut ad officia consueta monasterii haud teneatur? (106. Afirmat Pellizzar., *De monial.*, c. 3, sect. 2, n. 45, qui tamen una monet, in casu urgentis necessitatis posse cogi monialem illam ad exercenda mox dicta officia consueta monasterii. (107. Verum, ut Pellizzario scripsit Bordonus, haud debet mulier ratione majoris dotis recipi hoc cum pacto, utpote contrario voto obedientiæ, et si recipiatur, pro non appposito haberi debet dictum pactum. Accedit, quod dedecet augeri dotem jam taxatam hoc nom. quod non teneatur monialis ad consueta officia monast.

(108. Quod demum concernit livella, quidquid alios allegans contradicat auctor, * n. 73 et sequent., semper, ac fit a moniali unica remissio livellorum pro futuris annis, opus est licentia Summi Pontificis, cum hæc remissio sit alienatio, ut post Bordon. aliosque firmat Capon., discep. 94, n. 37.

RESPONSIO AUCTORIS.

* Ast ego auctor expresse teneo, requiri ad id dictam licentiam, ut clare patet, n. 72, ubi inter alia refero etiam decretum sacr. congr. Episcop. et Regular. 16 Januarii 1739, n. autem 73 et 74, refero tantummodo opinionem aliorum, non eam sequendo, ut evidenter demonstro dicens: « Et ratio istorum est, » etc. *Vide ibi etiam sub n. 75.*

(109. De livellis quæri solet, an possint ea assignari, vel relinquere ea conditione, ut nihil acquiratur monasterio? « Sed Domini (recte ait Rota inter impress. post Torr. *De pact. futur. succes.*, decis. 47, n. 7, et plur. sequent.), re bene considerata, existima-

runt, hanc reservationem continere conditionem impossibilem, et omnino repugnantem, cum monacho aliquid habere non permittatur in proprietate, sed totum sit monasterii, etc., adeoque annexa est regulæ monachali proprietatis abdicatio, ut contra eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere, etc. Inferebant, quod non poterant dicti ducati 70 reservati pervenire in utilitatem et commodum P. Henrici, quin simul monasterio quærerentur, alias esset quædam repugnantia, et contradictio, quæ vitaret supra dictam reservationem, etc. Hinc ad sustinendum actum, memorata renuntiationis verba sic intelligi debere, ut monasterium patiatur dictum Henricum ducatos 70 reservatos habere eo modo, quo potest, etc. Huic juridicæ interpretationi nihil repugnat licentia S. congreg. quia, restricta reservatione ad solum usum, et commoditatem monachi reservantis, necessario sequitur, quod integrum maneat jus superioris hunc usum revocandi, et ad proprias et honestas necessitates restringendi, cum hoc modo salvetur reservatio, ut in nihilo pugnet cum religionis substantia. » *Vide et Rotam post eundem, decis. 75.*

(110. Major quæstio est, an livella cessent acceptata in monasterio vita communi? Sed hanc quæstionem diremit S. congregatio Episcoporum et Regularium negotiis præfecta in *Casertan.* 1 Februarii 1692, negative respondendo monialibus Spiritus sancti et Sanctæ Catharinæ Casensæ, quæ eam hac de re consuluerant. Decretum hoc refert Paulut., dissert. 36, art. 3, n. 40.

(111. De livellis, an gaudeant privilegio dotis, *vide cardinal. de Luc., De regul.*, discur. 34, n. 1; Rot., in *Recent. decis.*, dec. 39, n. 13, part. xi.

APPENDIX.

(112. Ad ea quæ ab auctore dicta sunt articulo II addendam duximus recentissimam dispositionem Clementis XIII Pontif. Maximi super expensis, quæ fiunt a monialibus sacristiæ præfectis, per chirographum a Sanct. sua Ferdinando Mariæ de Rubeis patriarchæ Constantinopolitano, vicariatus Urbis vicegerenti, S. R. Eccl. cardinali directum; en ejus verba:

« A Monsignor Ferdinando Maria de Rubeis, patriarcha di Costantinopoli, del vicariato di Roma vicegerente.

« Le sacre Vergini dedicate a Dio ne' chiostrî vestendo l' abito religioso, hanno avuto una giusta sicurezza di vivere affatto lontane da ogni sollecitudine temporale, e li nostri gloriosi predecessori hanno avuta continua premura di dare opportuni provvedimenti, perchè niuna cosa le distogliesse da questo santo e lodevole oggetto. Quindi è che hanno impedito tutto quello, che potea dal medesimo allontanarle, per ragione degl' Offizj, che debbano ne' loro monasteri adempire, e specialmente per quello di sagrestana. Ma perchè li provvedimenti dati non s' eseguiscono, sono altresì gravissimi gl' inconve-

nienti, che succedono, e che pur troppo ci sono stati rappresentati con replicati continui ricorsi. A questi inconvenienti volendo Noi rimediare, con la presente cedola di moto proprio, ordiniamo a voi, che proibiate in nostro nome alle superiore religiose di permettere, che le loro monache destinate all' officio di sagrestane facciano in avvenire alcuna spesa in occasione delle feste, che si debbano solennizzare nelle loro rispettive chiese; essendo mente nostra, che qualora le medesime chiese siano bastantemente provvedute d' apparati propri, si mettano questi in opera a spese comuni del monastero: ma quando ne fossero prive, non si prendano le religiose incaricate dell' officio di sagrestane altra cura, e sollecitudine, che quella di far disporre sopra gli altari que' sacri arredi, e suppellettili, che si trovano avere, con la maggior decenza compatibile alle forze dello stato economico del medesimo monastero. Siccome però non intendiamo pel rimanente d' impedire a' monasteri facoltosi la celebrazione delle feste con la consueta pompa, purchè sia interamente sagra, ed ecclesiastica; così vogliamo, che generalmente si proibisca a tutti il framschiarvi rinfreschi di qualunque sorte, non solo perchè danno occasione a spese inutili, e di scandalo a' secolari, ma perchè distruggono le religiose da quella divozione, e raccoglimento, che debbono avere nel corso di tutto l' anno, e molto più ne' giorni con particolarità dedicati o alla venerazione del santo fondatore, o al titolare, sotto la protezione de' quali vivono. Proibiamo ancora, che le sagrestane a proprie spese facciano in simili occasioni, ricognizioni, o regali a qualunque sorta di persone, o dentro, o fuori del monastero. E vogliamo, che le superiore restino incaricate dell' esecuzione esatta di questa nostra volontà; e che in caso di contravvenzione restino sospese dal loro impiego, riservando a Noi la facoltà di reintegrarle, quando attese le circostanze crederemo di doverlo fare.

« Dato dal nostro Palazzo Apostolico a Monte Cavallo questo di 30 Giugno 1759. »

ARTICULUS III.

Moniales quoad ea quæ concernunt clausuram.

SUMMARUM.

1. Clausura ante tempora Bonifacii VIII fuit solum sub consilio. — 2. Clausura a quo primo sub formali et absoluto præcepto fuerit indicta? — 5. Ad clausuram tenentur nunc moniales omnes professæ ejuscunque regulæ, et ordinis, et nominis, et etiam tertiariæ in congreg. viventes, et tria vota essentialia emittentes. — 4. Et si renuant, prohibetur eis receptio ad habitum. — 5. Quamvis clausura non contineatur formaliter in Regula ejuscunque monialis, continetur tamen virtualiter sub tribus votis, et signanter sub voto obedientiæ. — 6. Hinc moniales profitentes hac conditione, ut clausuræ non obligentur, non sunt veræ professæ. — 7. Moniales temere egredientes a clausura sui monasterii, ultra alias gravissimas pœnas, incurrunt ipso facto excommunicationem majorem. — 8. Supradictas pœnas incurrunt episcopi, alique superiores monia-

lium injuste licentiam monialibus egrediendi a monasterio concedentes, et omnes alie personae ipsas moniales injuste, et illicite de monasterio egressas comitantes, vel recipientes, et sic tamen illicitum egressum, vel illius perseverantiam foventes. — 9. Non incurrunt tamen dictas poenas, qui post illicitum et injustum egressum moniales comitantur, vel recipient, non ut cooperentur illi injusto et illicito egressui, seu perseverantiae in ipso, sed solum, ut earum honori, et honestati consulant, vel gratia urbanitatis, amicitiae, seu consanguinitatis et affinitatis. — 10. Excommunicationem, et alias dictas poenas incurrit monialis, quae ambobus pedibus exit ostium clausurae uno, vel altero palmo. — 11. Monialis ascendens supra tectum violat clausuram, et incurrit dictas poenas. — 12. Monialis faciens se dimitti e fenestra correspondente via publice patenti secularibus, quamvis non totaliter descendat, sed maneat suspensa in medio aere pendens ex aliquo fune, clausuram violat et incurrit poenas. — 13. Item clausuram violat monialis ascendens arborem in horto monasterii et procedens ad rami omnino prominentem extra murum, etiamsi ascenderit causa recreationis, seu alio fine, dummodo totum corpus perpendiculariter pendeat extra locum clausurae. — 14. Item clausuram violat monialis se ponens in Rota; eamque volvens versus partem exteriorem, ad quam seculares accedunt. — 15. Item clausuram violat monialis, quae appenso fune ex superiori limine portae clausurae, eoque manibus apprehenso, ludit ludo navis. — 16. Item clausuram violat monialis egrediens ad spatium, quod est inter januam monasterii clausuram, et aliam secularibus patentem. — 17. Item clausuram violat monialis accedens ad domos contiguas monasterii inhabitatas a feminis servitricibus; seu ad propriam ecclesiam exteriorem. — 18. Item clausuram violat monialis urbanitatis, vel curiositatis gratia egrediens e proprio monasterio, et in aliud contiguum ingrediens. — 19. A tali excommunicatione violatae per illicitum egressum clausurae, seu per cooperationem concedendo licentiam, comitando, et recipiendo sic illicite egressas, si sit publica, absolvit solus Summus Pontifex, vel habens ab eo auctoritatem. — 20. Si autem sit occulta, alii dicunt non posse ab ipsa absolvere episcopum. — 21. Et alii tenent oppositum volentes posse ab ipsa excommunicatione occulta absolvere episcopum, et habentes ab episcopo facultatem. — 22. Quod dicitur de episcopis respectu secularium et monialium sibi subjectarum, intelligi etiam debet de praelatis regularibus respectu suorum subditorum. — 23. In foro conscientiae posse confessarios regulares absolvere a tali excommunicatione, etiamsi sit publica, aut deducta ad forum contentiosum, docent plurimi. — 24. A poenis privationis officiorum et dignitatum, et inhabilitatis latis a S. Pio V, possunt absolvere pro utroque foro, quoad suos subditos, episcopi et praelati regulares. — 25. Conciliantur dicta supra sub n. 19, cum dictis, sub. verb. **ABSOLUTIO**, art. 1, n. 6. — 26. Moniales possunt in aliquibus casibus de monasterio exire absque incurso poenarum, et praecipue ex causa magni incendii, vel infirmitatis leprae, et epidemiae. — 27. Quid veniat nomine *magni incendii*? nomine *leprae*? et nomine *epidemiae*? — 28. Moniales possunt licite egredi etiam in aliis casibus consimilibus praedictis tribus, ut quando grave periculum substat monialibus ratione imminenti belli, inundationis fluminis, ruinae aedificii, seu alterius gravioris consimilis periculi, nisi exeat. — 29. Occurrente aliquo casu, in quo, juxta dicta, licitus est egressus monialium a monasterio, requiritur licentia superioris. — 30. In Monasteriis subjectis episcopo, seu ordinario loci sufficit licentia solius episcopi, seu ordinarii loci; in monasteriis autem exemptis requiritur ultra licentiam praelati regularis, etiam licentia episcopi, seu ordinarii loci. — 31.

Nomine episcopi, qui approbare causam debet et potest, venit etiam vicarius generalis et capitularis. — 32. Si in aliquo ex dictis casibus periculum sit in mora, nec ob distantiam possit superior consuli, tunc moniales in tali necessitate, et periculo possunt licite exire. — 33. Abbatissa an cum licentia solius episcopi et superioris regularis, si sit ei subjecta, possit exire de monasterio ad praestandum principi saeculari domino feudi fidelitatis juramentum, quando illud praestare non potest per procuratorem? — 34. Moniales, licet olim possent de licentia ordinariorum et superiorum monasteriorum transferri ad novum monasterium fundandum, vel etiam reformandum, seu ad officium abbatissatus, seu aliud munus exercendum, tamen hodie quacunque occasione transferri non possunt amplius de monasterio ad monasterium sine speciali licentia Sedis Apostolicae toties quoties obtinenda. — 35. Facultas, quae olim, sive de jure communi, sive ex concilio Tridentino locorum ordinariis, vel monasteriorum superioribus super hoc competebat, fuit sublata per constitutionem S. Pii V. — 36. Moniales ex licentia sacrae congregationis egressae tenentur sub mortali, statim expleta causa egressus, se ad monasterium recipere. — 37. Si autem finita et expleta causa sui egressus, multo spatio extra monasterium morantur ob malum finem, non solum peccant mortaliter, sed etiam incurrunt excommunicationem. — 38. Monialis cum licentia sacrae congregationis egressa ad curandam infirmitatem, et intra domum privatam, non violat clausuram, si huc et illuc vagetur; si tamen in licentia esset praescriptum, ut talis monialis in domo privata servaret clausuram, tunc teneretur ad ipsam. — 39. Monialis cum licentia sacrae congregationis licite egressa ad aliud fundandum monasterium, ad curandam infirmitatem in balneis, et hujusmodi, non violat clausuram, nec graviter peccat, si ea occasione a recto itinere viginti, aut 25 milliariis deviet ad aliquod sanctuarium colendum, seu ad consanguineos, vel amicos visitandos. — 40. An monialis legitime egressa e suo monasterio, et transiens ad aliud, seu ad balnea, seu in via accedat ad locum, in quo existit monialium monasterium, possit ibi hospitio recipi? ad 41. — 42. Ingressus in monasteria absque justa causa et legitima facultate, est absolute prohibitus omnibus omnino personis a Bonifacio VIII, sed sub nulla censura. — 43. Item a concilio Tridentino sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, sed nemini reservata. — 44. Beatus S. Pius V id, quod statuit Tridentinum, jussit observari. — 45. Gregorius autem VIII idem statuit sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, et Papae reservata contra praesentes ingredi monasteria monialium praetextu facultatum, revocando omnes, et quascunque ad id concessas licentias, et imponendo transgressoribus alias gravissimas poenas. — 46. Item Paulus V inhaerendo litteris dicti Gregorii revocavit omnes licentias ab ipso, et aliis pontificibus concessas mulieribus cujuscunque status ac conditionis, quoad ingrediendum monasteria monialium, aut conversandum cum ipsis, prohibendo superioribus, et superioribus sub gravissimis poenis ipsas admittere, aut admissas retinere. — 47. Et de mandato Clementis VIII sacrae congregatio Episc. et Regul. sub poena excommunicationis majoris Papae omnimode reservatae, intra Italiam et extra Urbem, omnibus prohibuit ingressum in monasteria monialium ad malum finem. — 48. Excommunicatione lata a concilio Tridentino incurrunt, etiamsi ingressus non sit ad malum finem, nec praetextu licentiarum; at nulli est reservata. — 49. Excommunicatione lata a Gregorio XIII et Paulo V est Papae reservata, et incurritur, etiamsi ingressus non sit ad malum finem, et etiamsi non sit ex praetextu licentiarum. — 50. Quis possit absolvere ab excommunicatione, ali-

isque poenis latis a Gregor. XIII et Paulo V in dictis constitutionibus? *remissive*. — 51. Excommunicatio lata a Clemente VIII per dictum decretum ad ann. 1602, 26 Novembr., incurrunt ab omnibus violantibus clausuram monialium ad malum finem. — 52. Et haec excommunicatio extra urbem, et intra Italiam est reservata Romano Pontifici, ita ut regulares, non obstantibus suis privilegiis, nequeant ab ipsa absolvere. — 53. Imperatores, imperatrices, reges, reginae, eorumque filii et filiae possunt absque incurso excommunicationis, aliarumque poenarum, ingredi cum sua decenti comitiva in monasteria monialium. Vide tamen novissimam dispositionem Benedicti XIV relata infra sub n. 99. — 54. An possint etiam dicta monasteria ingredi ducisse, aliaque principissa, duces et principes suprema jurisdictione gaudentes? Vide d. novissimam dispositionem. — 55. An item dicta monasteria possint ingredi fundatrices et fundatores? Vide d. dispositionem. — 56. Mulieres, quibus a Sede Apostolica conceditur licentia ingrediendi monasteria monialium, non possunt ingredi, nisi prius habito consensu monialium, capitulariter praestito per suffragia secreta. — 57. Consensus autem sufficit, quod sit capitulariter praestitus a majori parte monialium. — 58. Pueri et puellae cujuscunque aetatis, nequeunt ingredi et introduci in monasteria monialium, et introducens infantes cujuscunque aetatis, vel aetatis, incurrit censuras violatae clausurae. Unde tolerari non debet, quod puellae, licet parvulae, ingrediantur ad libitum, et abbatissa, quae haec permittit, privatur officio, voceque passiva. — 59. Nomine monialium introducendum, vel admittendum in clausuram personas non habentes ad id legitimam facultatem, veniunt omnes active influentes in talem ingressum. — 60. Cardinales, aut episcopi, sive alii praelati ingredi non possunt monasteria monialium, quae eorum jurisdictioni non subsunt. — 61. Neque cardinales legati habent potestatem visitandi moniales et ingrediendi clausuram. — 62. Et a fortiori neque vicelegatus potest clausuram ingredi sine episcopi licentia. — 63. Neque inquisitores, nisi ex causa S. officii. — 64. Neque magistratus et deputati ad clausuram monialium debent ingredi cum episcopo, nisi eos elegerit. — 65. Neque permittitur debet episcopus deputari a civitatibus aliquos, qui comitentur visitatores monialium, etiam regularibus subjectarum. — 66. Praelati omnes seculares episcopali ac etiam cardinali us dignitate praediti, nequeunt ingredi clausuram monialium, etiam sibi subjectarum, nisi in casibus necessariis, et comitati a paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis. — 67. Si autem contrafecerint, incurrunt interdictum ab ingressu ecclesiae pro prima vice; pro secunda vero contrahunt suspensionem a Pontificali munere, et a divinis; pro tertia autem vice et deinceps, excommunicatione majori afficiuntur. — 68. Unde non possunt episcopi secum ducere in clausuram ullos laicos tanquam comites et socios. — 69. Adducitur et solvitur instantia. — 70. Propter ejusdem necessitatem, et ad promovendam utilitatem monasterii possunt episcopi secum ducere aliquos peritos laicos. — 71. Non possunt tamen episcopi secum ducere in clausuram plusquam octo personas, alias incurrunt praedictas censuras. — 72. Absolutio tamen ab istis censuris non est Papae reservata. — 73. Praelati regulares ingredienti extra necessitatem monasteria monialium sibi subjectarum ligantur dicta excommunicatione majori et privantur omnibus officiis et dignitatibus. — 74. Praelati regulares qua ex causa, quomodo, et quando possint ingredi, et visitare clausuram interiorum monialium? — 75. Praelatus regularis, si fuerit generalis, potest secum introducere duos socios sui ordinis: Si fuerit alius a generali, potest introducere secum tantum unum socium sui ordinis. — 76. Nec ipse visitator, nec ejus socii possunt

sumere intra clausuram ullam refectionem. — 77. Si ob clausuram, aut aliam urgentem ac necessariam causam oportuerit superiorem regularem eodem anno pluries ingredi septa monasterii, tunc non aliter ingredi potest, quam cum praesentia episcopi diocesani, vel alterius personae ecclesiasticae vel saecularis boni exempli ac mature aetatis ab ipso episcopo ad hoc specialiter deputatae. — 78. Si superior regularis supra dictis contrafecerit, ipso facto poenam excommuni. et privationem omnium officiorum, quae obtinet, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, voceque activa et passiva absque alia declaratione incurrit; et nihilominus nullis privilegiis et exemptionibus tueri se potest, quominus ab episcopo loci, tanquam ad hoc Sedis Apostolicae delegato, quoties, et quando opus fuerit, corrigi et puniri valeat. — 79. Confessarii quomodo, et quando possint ingredi clausuram, *remissive*. — 80. Medici, et chirurgi quando, et quomodo ingredi possint clausuram? *remissive*. — 81. Factores, syndici, alique operarii ad monialium servitium necessarii possunt de legitimi superioris licentia ingredi clausuram ad exercenda sua artis opera, quae commode extra monasterium exerceri non possunt. — 82. Qui tamen habet licentiam ingrediendi pro uno servitio, non potest ingredi ad aliud servitium praestandum, alias violat clausuram. — 83. Clausuram violant et in excommunicationem Papae reservatam incidunt mulieres illae, seu viri, qui cum uno saxo, vel ligno, vel qualibet alia re intrant sub praetextu deferendi necessaria pro fabrica; et ita etiam moniales illae, quae tales introducunt. — 84. Secus autem, qui ingreditur etiam sine licentia ad extinguendum incendium, vel ad servandum seipsum, aut monasterium ab incendio; vel ad succurrendum in aliis casibus repentinae ruinae. — 85. Licentiam concedere pro ingressu in clausuram monialium spectat ad episcopum auctoritate quidem propria pro monasteriis sibi subjectis, et auctoritate delegata pro monasteriis subjectis Sedi Apostolicae. — 86. Item pro dictis monasteriis talem licentiam concedere potest vicarius generalis, si ad hoc habeat speciale mandatum. — 87. Item talem licentiam concedere potest vicarius capitularis etiam pro monasteriis Sedi Apostolicae subjectis. — 88. Pro ingressu in monasteria regularibus immediate subjecta ad quem spectet licentiam concedere? ad n. 95. — 94. Episcopus potest excommunicationem sibi reservatam imponere circa aperitionem ostii clausurae monialium etiam regularibus subjectarum. — 95. Episcopus potest visitare clausuram et monasteria monialium regularibus subjectarum, etiam inconsultis et irrequisitis earum superioribus regularibus. — 96. Quoad talem visitationem debet episcopus observare decreta sacrae congregationis Concilii haec de re edita et hic adducta. — 97. Hic juvat addere novissimas resolutiones sacrae congregationis Concilii. — 98. Super clausura monialium attendenda est novissima dispositio Benedicti XIV quae adducitur. — 99. Alia ad rem ad n. 127.

(1. Clausura ante tempora Bonifacii VIII fuit solum sub consilio; quamvis enim fuerit multum commendata, et quasi indicta in concil. Carthaginen. I sub ann. 348 et Carthagin. III, can. 33; in conc. Trullano, can. 46, in Cabilonen. II, can. 62; in Lugdun. II, can. 3, in Matisconen., can. 19; in Aquisgranen., can. 19; tamen, ut observant Suarez, tom. IV *De relig.*, lib. 1, cap. 8, num. 211; Tamburin. *De jure abbatiss.*, disp. 18, quaesit. 3, n. 1; Pellizzarius *De monialibus*, cap. 5, n. 23 et alii passim, non fuit ibi clausura absolute praecipua, sed sub consilio efficaciter commendata; unde pro tunc paulo major ac rigidior clausura imposita fuit fe-

minis, quam viris; imposita enim erat ipsis clausura dependenter fere a legitima facultate abbatissæ.

(2. Primo enim sub formali et absoluto præcepto clausuram monialibus indixit Bonifacius VIII in cap. *Periculoso*, unic., De statu regul., in 6. Et deinde concilium Trid., sess. xxv, *De regularib. et monial.*, cap. 5; S. Pius V, constit. incip. *Circa pastoralis officii*; et constit. incip. *Decorum et honestati* et Gregorius XIII, const. incip. *Deo sacrus*.

(3. Unde ad clausuram tenentur nunc moniales omnes professæ cujuscunque regulæ, ordinis et nominis, etiam tertiariæ in congregatione viventes, et tria vota essentialia emittentes; Bonifac. VIII, in cit. cap. *Periculoso*; concil. Trid. sess. xxv, cap. 5; S. Pius V, in cit. constit. incip. *Circa pastoralis officii* et constit. incip. *Decorum et honestati* et Gregor. XIII, constit. incip. *Deo sacrus* et sæpe sæpius sacra cong. Episc. et Regul., et signanter in *Virdunen.* 15 Januar. 1602; in *Constantien.* 25 Jun. 1603, et sæpius etiam sac. cong. Conc. (4. Et si renuant, prohibetur eis receptio ad habitum. S. cong. Episc. in *Pampilon.* 10 Febr. 1593; in *Terracin.* 5 Mart. 1603; in *Constantien.* 13 August. 1616 et sæpe alibi, et expresse S. Pius V, cit. const. incip. *Circa pastoralis officii*.

(5. Quamvis enim clausura non contineatur formaliter in regula cujuscunque monialis, continetur tamen virtualiter sub tribus votis. Sacra cong. Episc. in *Zamoren.* 7 Febr. 1592, et signanter sub voto obedientiæ. Eadem sacra cong. Episcop. 16 April. 1619. (6. Hinc moniales profitentes hac conditione, ut clausuræ non obligentur, non sunt veræ Professæ, quia S. Pius V, in cit. constit. incip. *Circa pastoralis officii*, dictas professiones irritat; Miranda, *De sacrus monialib.*, qu. 1, art. 4; Lezana, tom. I, *Summa* cap. 25, n. 17; Emmanuel Roderic., tom. I, *Qq. regular.*, quæst. 47, art. 2; Tamburin., *De jure abbatiss.*, disp. 18, quæst. 5, n. 6; Pellizzar., *De monialib.*, cap. 8, n. 54, et alii passim.

(7. Moniales temere egredientes e clausura sui monasterii, ultra alias gravissimas pœnas, incurrunt ipso facto excommunicationem majorem reservatam Papæ. Sic expresse S. Pius V in cit. constit. incip. *Decorum et honestati*, ibi: « Aliter autem egredientes, seu licentiam exeundi quomodocunque concedentes, nec non comitantes, ac illarum receptatrices personas, sive laicas, aut sæculares, vel ecclesiasticas, consanguineas, vel non, excommunicationis majoris latæ sententiæ vinculo, statim, eo ipso, absque alia declaratione subjacere, a quo præterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant. Et insuper tam egressas, quam præidentes, et alios superiores prædictos eis licentiam hujusmodi concedentes, dignitatibus, officiis, et administrationibus per eas, et eos tunc obtentis privamus, et illas, et illos ad obtenta, et alia in posterum obtinenda inhabiles... decernimus. »

(8. Supradictas pœnas, ut vides ex d. constitutione S. Pii V incurrunt episcopi, aliique superiores monialium injuste licentiam monialibus egrediendi e monasterio concedentes, et omnes aliæ personæ ipsas moniales injuste et illicite de monasterio egressas comitantes, vel recipientes, et sic talem illicitum egressum, vel illius perseverantiam foventes. (9. Non incurrunt tamen dictas pœnas, qui post illicitum, et injustum egressum moniales comitantur, seu recipiunt, non ut cooperentur illi illicito, et injusto egressui, seu perseverantiæ in ipso, sed solum ut eorum honori, et honestati, seu castitati consulant, vel gratia urbanitatis, amicitiae, aut honoris, et consanguinitatis, et affinitatis. Sanchez, in *Dec.*, l. v, c. 15, n. 71; Graffius, p. 1 *Decis.*, l. iv, c. 23, n. 17; Zerola, in *Prax. episc.*, p. 1, verb. *Moniales*, ad 15 quæsit., dub. 7; Bonacina, *De clausura*, q. 1, punct. 4, num. 5; Zecchi, *De republ. eccles.*, tit. *De regularibus*, cap. 3, n. 15; Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monialium*, cap. 7, § 11, qu. 7; Tamburinus, *De jure abbatiss.*, disput. 19, quæst. 2, n. 4, et alii passim.

(10. Excommunicationem et alias dictas pœnas incurrunt monialis, quæ ambobus pedibus exit ostium clausuræ uno, vel altero palmo: Sanchez, *ad Decalog.*, lib. vi, c. 13, n. 63; Navar., t. IV, *De regul.*, n. 57; Roderic. tom. I, quæst. 49, art. 1; Cajetan. de Alexandris, *loc. cit.*, c. 7, § 1, quæst. 1, Portell., in *Dub. regul.*, verb. *Clausura monial.*, n. 25; Comitoli., lib. v, *Respons. moral.*, qu. 3, Donatus, *Prax. rer. regul.*, tom. IV, tract. 4, quæst. 25, n. 2; Bonacina, *De clausura*, q. 1, punct. 4, n. 2, ubi dicit conclusionem procedere etiamsi uno solo palmo se reciperet extra januam clausuræ, et statim redeat. Tamb., *De jure abbatiss.*, disp. 19, quæst. 4, ad casum. 1; Diana, p. iii, tract. 2, *De dub. regul.*, resolut. 52, et part. v, resol. 22, § *Ad hæc*; Gibal., *De sanctimonialib.*, disp. 1, c. 2, § 17, consec. 2, sub n. 33; Lezana, verb. *Clausura*, n. 7, et alii plures contra Graffium i part. *Decis.*, l. iv, cap. 23, et in *Practica de casibus reservat.*, lib. i, c. 5, n. 45; Nald., in *Summa*, verb. *Clausura*, n. 1; Pellizzar., *De monialib.*, c. 5, sect. 1, quæst. 11, n. 19; Peyrin., t. I, *Privil. minimor.*, in const. 6 Pii V, n. 4; Merola, t. I, d. 1, c. 2, *De volunt.* 7, difficult., n. 502, volentes dictam moniatem in casuposito ob parvitatem materiæ excusari a pœnis, et culpa. (11. Monialis ascendens supra tectum violat clausuram, et incurrit dictas pœnas. Sic sac. C. Episcop. in *Lycien.* 16 Sept. 1609, et in *Comen.* 18 Septemb. ejusdem anni, quæ mandavit cum pœnitentiis salutaribus ad arbitrium quasdam moniales, quæ bona fide ascenderant supra tectum ad sicanda frumenta, et pastas ab ipsis elaboratas, sive ad videndum quoddam festum, cum speciali prohibitionem illuc ultra ascendendi propter quameunque causam; ita apud Nicol., in *Flosculis*, verb. *Moniales*, n. 35; Sanchez autem, *loc. cit.*,

lib. vi, cap. 14, n. 7; Tambur., *De jure abbatiss.*, disp. 19, q. 4, ad 4 casum; Diana, part. iii, tr. 13, *Miscellan.*, resolut. 88; Pellizzar., *loc. cit.*, num. 74; Bonacina, *loc. cit.*, et alii distinguendo sustinent, quod si tectum monasterii correspondeat spatio extra clausuram, censetur extra clausuram, et monialis supra illud ascendens violat clausuram; secus vero si correspondeat spatio intra clausuram, quia tunc, dicunt ipsi, reputatur quædam pars monasterii; at vero forte ipsi non observarunt dictam resolutionem sacre congregationis, quæ sine tali distinctione processit.

(12. Monialis faciens se dimitti e fenestra correspondente viæ publicæ patenti sæcularibus, quamvis non totaliter descendat, sed maneat suspensa in medio aere pendens ex aliquo fune, clausuram violat, et incurrit pœnas; quia sic se ponit in loco, ad quem patet aditus sæcularibus, media aliqua scala parieti apposita; quod utique prohibetur a Gregor. XIII constit. incip. *Deo sacrus*; Pellizzar., *De monial.*, cap. 5, sect. 2, q. 39, n. 77, cum aliis ab ipso consultis; Donat., *Prax. rer. regular.*, tom. IV, tract. 4, qu. 28, n. 6 et alii.

(13. Item clausuram violat monialis ascendens arborem positam in horto monasterii, et procedens ad ramum omnino prominentem extra murum, etiamsi ascenderit causa recreationis, seu alio fine, dummodo totum corpus perpendiculariter pendeat extra locum clausuræ; quia perfecte accedit ad locum, ad quem sæculares possunt accedere, quod prohibetur a Gregorio XIII, in d. constit. *Deo sacrus*; Donat., *loc. cit.*, n. 4; Pellizzar., *loc. cit.*, n. 78; Cajetan. de Alexandris, *loc. cit.*, § 1, q. 1.

(14. Item clausuram violat monialis se ponens in Rota, eamque volvens versus partem externam, ad quam sæculares accedunt, quia vere et perfecte talis monialis accedit ad locum, ad quem sæculares accedunt, quod est prohibitum a Gregorio XIII, in dict. constit. *Deo sacrus*, et se exponit gravi honestatis periculo, propter quod evitandum indicta est clausura in cit. cap. *Periculoso*, unic., De statu regul., in 6; Trid., sess. xxv, *De regularib. et monialib.*, cap. 5, et in cit. constit. S. Pii V, incip. *Circa pastoralis officii*, et alia ejusdem incip. *Decorum et honestati*, et in cit. const. Greg. XIII incip. *Deo sacrus*. Sic tenent Gibal., *De clausura sanctim.*, disquisit. 1, cap. 13, § 17, consec. 3; Comitoli., lib. vi *Respons. moral.*, qu. 3; Portell., *De dub. regular.*, verb. *Clausura*, n. 25; Donat., l. c., quæst. 26, per tot., et alii contra Tamburin., l. c. ad cass. 5; Dianam, p. ii, t. II, res. 52; Pellizzar., l. c., n. 72; Lezanam, t. I, c. 25, n. 18. (15. Item clausuram violat monialis, quæ, appenso fune ex superiori limine portæ clausuræ eoque manibus apprehenso, se toto corpore a terra elevatam agit motu reciproco, exeundo nunc scilicet, nunc vero redeundo intra clausuram; qui ludus multis in locis est usitatus satis apud adolescentes, et vocatur ludus navis; talis enim

monialis quoad totum corpus per quamlibet agitationem vere exit extra ostium, et limites clausuræ: Donat., *loc. cit.*, q. 27, per tot. Cajetanus de Alexandris, *loc. cit.*, § 1, q. 1; Pellizzarius, *loc. cit.*, q. 34, n. 71, cum Diana, card. de Lugo et aliis a se consultis contra Naldum, Sanctarell., Baldell., et alios ibi citatos. (16. Item clausuram violat monialis egrediens ad spatium, quod est inter januam monasterii clausam, et aliam sæcularibus patentem, ut habetur clare ex cit. const. Greg. XIII incip. *Deo sacrus*; ibi: « Nec itidem licere monialibus etiam Tertiariis egredi e janua monasterii, quæ est pro clausura ipsius monast. etiam ad claudendam aliam ulteriorem januam, qua patere solet aditus sæcularibus venientibus, vel ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquiis destinata, quæ vulgo parlatoria appellantur, vel ad pulsandam ipsam clausuræ januam, quæ loca cum saltem pro causis præfatis patere soleant sæcularibus, extra clausuram censi debent, etiam tempore quo clausa sunt. » (17. Item clausuram monialis violat accedens ad domos contiguas monasterii inhabitatas a feminis servitricibus; sic etiamsi accedat ad propriam ecclesiam exterioriorem; quia ad talia loca patet accessus sæcularium, quod prohibetur a Gregor. XIII in cit. constit. incip. *Deo sacrus*, ut patet e mox adductis ipsius præcis verbis, et sic tenent doctores communiter. (18. Item clausuram violat monialis, urbanitatis vel curiositatis gratia, egrediens e proprio monasterio, et aliud contiguum ingrediens: imo talis monialis est rea dupliciter violatæ clausuræ, sunt enim duo actus, egressus videlicet et ingressus; unde etiam duplicem contrahit excommunicationem, prout rescripsit sac. C. archiepiscopo Panormitano 21 Augusti 1699 et 14 Septembris ejusdem anni, ut testatur D. Cajetanus de Alexandris, *loc. cit.*, cap. 7, § 1, q. 4.

(19. A tali excommunicatione violatæ per illicitum egressum clausuræ, seu per cooperationem concedendo licentiam, comitando, et recipiendo sic illicite egressas, si sit publica, absolvit solus Summus Pontifex, vel habens ab eo auctoritatem. Sic expresse sanctus Pius V in dict. constit. incip. *Decorum et honestati*, ibi: « A quo (vinculo) præterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeant. » (20. Si autem sit occulta, certant inter se doctores quisnam ab ea possit absolvere. Fagnanus enim, in cap. *Dilectus* 15, De temporibus ordinationum, a n. 30 ad 34, tenet absolute, nec episcopum posse ab ea absolvere, quamvis sit occulta, et adducit decreta sacre congregationis, et declarationem Pontificiam; ibi: « Sed nunquid episcopus facultate sibi tributa in d. cap. 6, sess. xxiv, in casibus occultis post concilium ex nova lege Sedi Apostolicæ reservatis etiam cum clausula « non obstantibus absolvere possit? » Sacra congregat. censuit non posse. Et in specie cum dubitatum fuerit: « An episcopus et « inquisitores possint hodie ex d. cap. 6, « sess. xxiv, absolvere lapsos in hæresim,